

Bibliothèque numérique

medic@

**Dubut, Pierre - candidat / Ferrand,
Jean-Baptiste-Guillaume - président. -
De variis lithotomiae methodi**

1772.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,
Cote : ms 2344, n°9***

DE VARIIS
LITHOTOMIÆ METHODIS.
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. JOANNE-
BAPTISTA - GUILLELMO FERRAND,
Facultatis Artium & Chirurgiæ Magistro, Clarissimi viri
M. GEORGII DE LA FAYE, Professoris Regii, Vicario
& Successore à Rege designato, Regiæ Chirurgiæ
Academiæ Consiliario, antiquo Anatomes & Chirurgiæ
in Scholâ practicâ Professore, Regiæ Scientiarum,
Litterarum & Artium Academiæ Rothomagensis Socio,
nec non Imperialis Apathistarum Academiæ Floren-
tinæ Socio extraneo, tueri conabitur PETRUS DUBUT
Noviodunensis, præclaræ Artium Facultatis Magister in
Universitate Parisiensi, magni Nosocomii Parisiensis
Chirurgi primarii adjutor, Theseos Auctor.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, 3^a. Octobris, à sesqui-Secundâ post meridiem ad Vesperam
A. R. S. H. 1772.

PRO ACTU PUBLICO
ET
SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXII.

K


DE VARIIS
LITHOTOMIAE METHODIS
THESIS
ANATOMICO-CHIRURGICA

Quam, Dno Iuvante, & Praeside M. JOHANNES
BAPTISTA - GUILLELMO FERNAND
Facultatis Aegiae & Chirurgiae, Carolini vni-
M. Gessner ex la. Iure, Prodebori Regni, Vniuersi
de Succellere à Rege designato, Regis Chirurgiae
Academiae Consultatio, antiquo Anatome de Chirurgia
in Schola practica Professore, Regis Medicorum
Litterarum & Aegiae Academiae Professoris, Socii,
per non imperialis Aegiae Academiae Praeside
tunc Socio exarato, tunc Consulto, tunc Ducto
Inuestigato, peractum, & in Praesentia
Universitatis Praeside, Magni Aegiae Praeside
Chirurgi primarii regni, Th. J. J. J. J. J.

P. A. R. I. S.
IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLA
P. A. R. I. S.

PRO ACTU PRAELICO
ET
SOLEMNI COOPTATIONE
Typis P. A. R. I. S. Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXII



D. O. M.
 DE VARIIS
 LITHOTOMIÆ METHODIS.
 T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

NON modò ipsiusmet vitæ legibus, senio confecti, fato ineluctabili fungimur miseri mortales, sed etiam dierum summam brevem, mille dolorum ac ærumnarum species, abripiunt; lucis & vitæ reos, in dies morbi nos accusant. Varios inter cruciatus, quibus afflicta ingemiscit familia humana, nullus certè crudeliùs vexat, quàm calculi in viis urinariis præsentia, nil atrociùs quàm acuti dolores, quos diù nocturque irrequieti ac infelices sisyphi, patiuntur. Artis salutaris laudi ac incremento sint, doctæ tot solertium Chirurgorum elucubrationes, qui Lithotomiam ad hunc

A

2

usque perfectionis gradum, feliciter evexere. De hac operatione dicturi, partium Anatomen, paucis delibabimus.

Vas carneo-membranaceum, vesica in pelvi sita, urinæ collectioni ac expulsionī dicata, variā, pro vario statu ac ætate, figurā donata, vulgò in collum, ubi densior est, in corpus, cujus sinus dexter ac sinister, ac in fundum dividua, triplici membranā, exteriori nempe peritonæo continuā, interiori quæ *nervea*, sensu exquisitissimo, præsertim circa foramen anterius, præditā, humore mucoso obductā, & inter utramque membranā *Musculosā*, corporatur. Alii plures describunt. Celeberrimus *Lieutaud*, unicam tantum, quam saccum membranaceum vocat, admittit (a).

TRIA sunt vesicæ foramina, quorum duo veluti conniventia, ureterum extrema, inferius verò aliis majus, in urethram abiens, *cervix* dicitur. Pone collum, protuberantia seu vesicæ *uvula* à D. *Lieutaud* detecta, in conspectum venit. Quandòque morbosa, turgida, effluxum urinæ deneget, ischuriamque producit.

UVULAM inter ac ureteres, *trigonum*, eādem ac vesicæ cervix substantiā conflatum, exquisitè sensibile prodit; undè acutissimi calculosorum dolores, cum vesicæ collum, corpus extraneum infestat.

CONTINUO urinæ stillicidio, fictitius sphincter, cujus fibræ carneæ falsò supponuntur, non obstat. Lotium in vesicā depositum, retinet annulus spongioso-ligamentosus, osculum cervicis ambiens, in statu naturali clausum tenens, donec ejusdem ligamenti actio, tunicæ musculosæ, huic magnā ex parte adhærentis, contractione, superetur.

IN urethram, canalem spongioso-membranaceum, sub syncondrosi pubis, peculiari modo incurvatum, corporum cavernosorum sulco firmiter adhærentem, vesicæ cervix abit; his corporibus & involucrio ligamentoso usque ad glandem, ubi liberè hiat, firmatur & sustentatur.

(a) Acta Reg. Scient. Acad. ann. 1753.

3

URETHRÆ principium & vesicæ cervicem, *prostatâ*, unica glandula, spongiosa, robustâ membranâ cincta, posterius ambit. Hujus excretorii ductus, cum duobus osculis vesicularum seminalium, in eâ urethræ parte, quam *verumontanum* vocant, liquorem suum effundunt. A prostatâ ad bulbum, urethra sola ac libera progreditur, quæ pars *membranacea* audit.

IN regione perinæi, tria musculorum paria. *Erectores* ab ossibus ischii, utrinque in corpora cavernosa desinunt. *Acceleratores*, partim ab ani sphinctere, partim à musculorum transversorum tendine oriundi, posteriorem urethræ partem constringentes, in corpora cavernosa itidem abeunt. *Transversales* ab ossibus pubis, infra bulbum inferuntur.

VESICAM urethramque, rami pudendarum tum interni, tum externi, arteriarum hypogastricarum propagines, aluunt. Venis ejusdem nominis, sanguis revehitur. Nervi, à sympathicis majoribus & sacris, procedunt.

CALCULORUM natura & causæ, res altioris indaginis, abstrusior & extricatu difficilior, nobis videtur, quàm ut de eâ, quid certi statui possit. Calculi inter sese differunt, vel ratione sitûs, numeri, consistentiæ, vel ratione molis, figuræ, aut coloris. Horum in vesicâ præsentiam, judicio præsumptivo indicant, vaga quædam & oberrans circa pubem titillatio, aut dolor ad extremum usque penis protensus, pondus molestum in perinæo, tenesmus, erectio penis ~~involuntaria~~, mictio crebrior, aut interrupta, acerbis sæpè doloribus comitata. His accedit, quod quandòque calculosi, fæces excernendo mingunt, aut mingendo, fæces excernunt. Tentata, vel digito in anum immisso in viris aut puellis, in vaginam autem in mulieribus, vel cathetere, quod clarius, exploratio, certitudinem Physicam de calculi existentiâ, sæpissimè parit. Calculorum dissolutionem incassum, vana lithontripticorum farrago, promittit. Horum extractionem, in quibusdam circumstantiis, prudenter procrastinandam, indicatio curativa expostulat.

LITHOTOMIA, negotium difficile, operatio antiquissima, *Hypocrati*, qui de eâ, non de tanquam operatione novâ loquitur, nota, ratione sexûs duplex est. De lithotomiâ
A ij

4

in viris institutâ, tantummodò dicemus. Hæc multifariâ, vel relativè ad instrumenta quibus perficitur, vel relativè ad partes ferro subjectas, dividitur. Undè *parvus apparatus* primò cognitus, ob suam simplicitatem sic dictus; *magnus apparatus* ob instrumentorum quibus celebrabatur multitudinem, ita denominatus; *altus apparatus*, seu *sectio Franco-niana*; quartus licet ordine veniat, *apparatus lateralis*, cucullato cuidam Fratri *Jacobo* vulgò tributus, ad remotissimâ sectionis Celsicæ tempora, hunc referendum, meritò censemus.

In sectione Celsicâ, seu parvo apparatu, obliquè à raphe ad tuberculum ischii, digito in anum intruso, super calculum, hamulo vel forcipe educendum, inciditur. Hæc methodus, primo intuitu, ob suam simplicitatem, aliis anteponenda videretur; attamen, multis incommodis, imò & periculis obnoxia, difficillimè perficitur; si quidem, super calculum, sectio fieri nequit, quin scalpri acies obtundatur, quin repetitis vicibus partes lædantur; undè contusiones, irritationes pessimæ aliaque id genus. In pueris multotiès feliciter instituta, adultis, quia calculus ad collum vesicæ non potest adduci, non convenit. Licet, referente *Celfo*, cervix vesicæ solum, non ipsa vesica, incidenda statueretur, juxta annotationem *Heisteri* (a), ad extractionem calculi, ipsam incidi necessum est. Juxta eundem auctorem, vesicula seminalis sinistra, fortè & quandòque ureter, vulnerari possunt. Sectionem Celsicam, denegato, propter canalis angustiam aut occlusionem, catheteri aditu (posito possibili), vel calculo urethræ aut collo vesicæ impactò, tentandam existimamus, aliàs eliminandam.

In magno apparatu, à *Joanne de Romanis* invento, à *Mariano Sanção* descripto, altiùs infra scrotum juxta raphe, bulbus urethræ non incidendus, secatur, quæ resistantiam offerunt partes secandæ, non inciduntur, undè infiltrationes pessimæ, undè dolores atrocissimi, dilacerationes, contusiones periculosissimæ, &c. Licet summâ Chirurgorum dexteritate ac in dilatando prudentiâ, pluriès ista operatio

(a) Disputat. Chirurg. Halleri, Tom. IV, p. 170.

5

per se lethalis successerit, licet ab illustrissimo *Maréchal* emendata, sensim neglecta, tandem penitus exolevit.

IN alto apparatu, vel urinâ retentâ, vel injecto liquore sufficienter dilatâ ac prominente vesicâ, pene constricto, ad pubem, cavendo ne septrum peritonæi lædatur, pars anterior vesicæ inciditur. Primus hac arte *Petrus Franco*, in puero, calculum crassiores, quem frustra per perinæum extrahere tentaverat, misericordiâ motus, suâ parentum, audaci ac doctâ manu, feliciter eduxit, faustamque suam inventionem, postea reprobavit. Sectionem Franconianam, in Galliâ D. *Pibrac* hujus-ce Collegii Magister, in Angliâ *Chefeldenus* & *Dowglasius*, &c. prospero cum successu, tentare. Vesicæ amplæ & sanæ, huic operationi conveniunt. Parvæ, corrugatæ, contractæ, suppuratæ, morbosæ, hanc-ce non patiuntur. Plura responsis patebunt.

INCISIONIS Celsicæ difficultates & incommoda, sectionis Marianæ defectus ac pericula, apparatus lateralis rectius instituti, utilitatem demonstrant. In hac operatione, cæsis obliquè partibus à raphe propè anum ad tuberculum ischii, sectis parte membranaceâ urethræ, collo vesicæ & glandulâ prostaticâ, tolluntur obices; via patet facilis introductioni instrumentorum ac educationi calculorum; quia tunc vesicæ collum, ut marsupium, circumquaque dilatari aptum, ampliatur ac distenditur. Vulnus triangulum refert, cujus apex in vesicâ, basis verò versùs tegumenta. Ratione ac experienciâ freti, hujus-ce methodi excellentiam, in plerisque casibus, prædicamus, modò tamen, omnibus ritè perpenſis, solæ partes quæ resistantiam offerunt, salvis aliis, prudenter ac cautiſsimè inciduntur. Hujus conditionis defectu, rudis erat, temeraria ac lethalis, Fratris *Jacobi* methodus, qui specillo præ ordinariis curvo, nullâ rimâ sulcato, in vesicam demisso, pugionem audacter, nullâ arte, nullo duce, in vesicam propè anum infigebat. Modò has, modò illas partes, modò collum vesicæ, modò ipsius corpus, modò vesiculam seminalem, imò ureterem & intestinum rectum, incautè incidebat; quandòque aciem instrumenti, vesica eludebat. Undè manca, periculosissima, nec tuta, licet lateralis, ista Lithotomia. Talibus rationum momentis ductus, vir optimæ notæ, in rebus Chirurgicis ac Anatomicis versatissimus M.

Mery, Fratris operationem reprobavit. Hujus egregii viri judicium, posteritas docta, adhuc veneratur.

Ex imperfectâ heremitæ methodo, maximam utilitatem, locum incisionis retinendo ac catheterem sulcatum longiori rostro donatum adhibendo, percepit *Rawius*, cujus operatio felicissima & innumeris propè successibus confirmata, non perfectè noscitur, si quidem ab illo quærentibus, quomodò secabat, responderet, lege *Celsum*. Attamen, *Albino* si fides, spatium ureterem & collum interjacenti, non nihil in posteriori parte, corpus vesicæ incidebat: quod nobis certum ac indubitatum non videtur, si quidem ex indè pessima sobolescere debuissent accidentia, infiltrationes putà, contusiones, vesicularum seminalium ac ureterum vulnera, quæ tot faustis, quibus inclaruit successibus, famosissima hæc methodus, manifestè opponerentur.

VIAM à descriptione *Albini* prorsus diversam, in Angliâ *Chefeldenus*, in Galliâ DD. *Perchet* & *Garengeot*, hujus-ce Collegii Magistri, invenere. Principium legitimæ Lithotomiæ, ab illis idem operantibus, cautissimè servatur; oblique cæso, propè anum, à raphe ad tuberculum ischii, perinæo, quæ resistunt, pars membranacea urethræ, cervix vesicæ & prostatica, illæsi aliis partibus, inciduntur. Undè facilis instrumentis aditus, minùs difficilis calculorum exitus.

RESPECTU habito ad partes operationi subjectas, Lithotomia lateralis bipartitur.

IN primâ, pars membranacea urethræ, cervix vesicæ ac prostatica, plus minus-ve inciduntur. Hæc sub se continet methodos seu modos *Chefeldeni*, celeberrimi *le Cat*, D. *Haukins*, D. *Pouteau*, D. *Moreau*, &c. Licet inter sese, hi modi, genuinæ Chirurgiæ furculi, naturâ non differant, attamen relativè ad varias modificationes, ad varia instrumenta, ad majorem minorem-ve earumdem partium incisionem, aliquid discriminis interest.

IN alterâ, corpus ipsum vesicæ, in spatio triangulari, quod ureteres & vesicæ cervicem interjacet, secatur. Hæc Lithotomia sub se habet methodos Fratris *Jacobi*, *Rawii* juxta

Albinum, nec-non D. *Foubert* & D. *Thomas*, hujusce Collegii Magistrorum. D. *Foubert*, urinâ, vel liquore injecto repletâ vesicâ, acu triquetram longâ, cujus cannula fulcata, inter anum & tuberculum ischii in vesicam adactâ, partes obvias, obliquè fursùm, rimâ cannulæ duce, cultro peculiari, cujus lamina angulum obrusum cum manubrio efformat, incidebat. D. *Thomas*, instrumento composito, acum triquetram, scalpellum in vaginâ reconditum ac conductorem referente, sub ossibus pubis in vesicam intruso, partes obliquè deorsùm secabat. Hæc lithotomiæ lateralis species, licet quibudam gloriatur successibus, multis incommodis obnoxia, nobis tuta, non videtur.

HAS omnes suprâ dictas methodos, minutim exponere prolixius foret, omnium ac singularum descriptionem, utilitatem, difficultates, si quæ sint, ac incommoda respectiva, vivâ voce, pro ingenii modulo, enucleare conabimur, modum specialem Lithotomiæ lateralis in magno Nosocomio Parisiensi, multis abhinc annis feliciter adhiberi solitum, à Clarissimo M. *Moreau*, præceptore ad cineres colendissimo inventum, à nobis pluriès faustè institutum, nondùm Publici Juris factum, ex professo particulatim exposituri. Sic se habet.

ÆGRO paululùm obliquè collocato, Chirurgus cathetrem fulcatum, valdè curvatum ac rostro longiori donatum, in vesicam immittit; sinistrâ manu cathetrem tenet, quod tutius, ita ut versùm inguen dextrum paulò inclinet & alterum extremum specilli, nempe curvatura, inter erectorem sinistram & ejusdem lateris acceleratorem, obliquè promineat, ubi tùm magis aut minùs distinctè pro differentiâ habitûs-ægri externè perferitur: dextrâ autem lithotomumprehendit (a) eoque integumenta communia incidit, ut mos est, à digito circiter transverso supra anum, ad tuberculum ischii; partibus exterioribus cæsis,

(a) Lithotomus noster idem ferè est ac ille quo utebatur *Rawius*, ut videre licet tabulâ quintâ in libro qui a D. *Ledran* inscribitur, *Parallele des différentes manieres de tailler*. Instrumentum illud linteolo involvendum est, ita ut, in adultis & obesis pollice circiter denudatum sit, minùs verò pro ratione ætatis.

lithotomi cuspidem; versùs angulum plagæ superiorem, in catheteris rimam demittit Chirurgus; deindè catheterem sublevar, ut urethra ab intestino recto removeatur, & lithotomo faciliior pateat aditus, quem, majori adhibita diligentia, usque ad sulci specilli finem impellit: quo facto, rursùs versùs pubem, specillum firmat, posteaque instrumentum secans, secundùm primæ incisionis tractum, horizontaliter retrahendo, partes obvias ab internis ad externas fecat. Interea maximè attendendum est, prostarâ sectâ (quod facilè percipitur, ob summam ejus duritiem) ut lithotomus, non incidendo, nisi extùs & tantùm ad integumentorum plagam ampliandam, retrahatur. His ritè peractis, ductorem per catheteris sulcum, in vesicam cautè immittit Chirurgus, cavendo ne indè aberrer, mox catheterem extrahit, indicem dextræ oleo inunctum, super ductorem blandè impellit, forcipe in vesicam introducto, quærit calculum & educit.

Hujusce-modi, genuinis Lithotomiæ lateralis legibus consoni, utilitates ac commoda, ratio invictè probat, quotidiana experientia felicissimè confirmat.

F I N I S,